UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Ratiocinatio in Apophasi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

dignitas, aut morbo, aut vetuſtate. Auth. ad Heren. lib. 4.

Protrope.

Iul. Ruf. p. 29. Adhortatio ad aliquam rem eſt, & palinlogia, Virg. Nunc, nunc inſurgite ramis hortor vos ſocij. Cic. in Verrem 3. actionis libro, vos quod ad veſtram famam, ſenatuſque conſulta pertinet iudices proſpicite, atque conſulite, &c.

Prupergaſia.

Iul. Ruf. p. 29. Vel paraſceue, præmunitio. Qua antè vtimur, vt confirmet id quod ſubiecturi ſumus. Vt ſi teſtem producturi ſumus, antè eſt, vt ei fidem habendam eſſe doceamus. Quare eſt velut generalis locus, & tractatus communis. Cicero pro Milone; antè præmunit licere hominem occidere, & tum ſubito occiſum P. Clodium iure, & ſine inuidia: cum ita dicit, negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe eſſe hominem occiſum fateatur. In qua tandem ciuitate hoc homines ſtultiſſimi diſputant?

Pyſma.

Quæſitum. Hoc genus à ſuperiore erotemateco differt, quod ad interrogatum vna voce tantum reſponderi poteſt, vel a negante, vel à confitente: quæſito autem occurri non niſi pluribus poteſt, hoc modo, ſi dicas, qua igitur ratione bellum geremus? quæ auxilia nobis parata erunt? quis erit, qui ſubuenire volet, cum tã acerbè ſocios tractauerimus? Alexander Rhetor cum Aquila ſentiens definit, πρὸς ὃ δὲ ἐξ ὁδικῶς ἀπαιτῆσαι δεῖ, καὶ διὰ πλειόνων.

Ratiocinatio in Apophaſi.

Sarcaſmus.

Iul. Rufini p. 25. Hæc figura quibuſdam videtur eadem, quæ chleuaſmus, ſed à perfectiſſimis propria ſignificatione deſcripta eſt. Peculiariter enim fœdiora ea ſignificamus, non tamen ſine dicacitate conciuna Vt apud Virg.

Nouimus, & qui te, tranſuerſa tuentibus hircis.

Apud Ciceronem, Sexte noſter bona venia, quoniam dialecticus eſt, & hoc quidem liguris. Et pro Cœlio, quod facerem vehementius, niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratre volui dicere, ſemper hic erro.

Schesis.

Iul. Rufini p. 30. Proxima figura eſt anthypophoræ, qua aduerſariorum affectum quemlibet fingimus cui reſpondeamus. Vt in illo.

Indignum eſt Italos Troiam ſuccendere flammis
Naſcentem, & patria Turnum conſiſtere terra.
Quid face Troianos atra vim ferre Latinos?

Non hæc ita Iuno propoſuit, quaſi manifeſte Venus indignum eſſe dixiſſet, ſed quaſi indignum eſſe Veneri fingeret, vel ſuſpicaretur. Hæc latinè dicitur affectiò.

Solutum.

(Sic enim voco, quod ἀσύνδετον Græci vocant) fit ita, vt demptis coniũctionibus, & propoſitionibus, quibus verba, & nomina connectuntur, ſingulatim vnumquodque enuntiemus. Cuius frequentiſſimum exemplum eſt per totas orationes M. Tullij: ſed vel hoc vnũ ad exemplum ſufficiet. Exſpecto vim edicti, ſeueritatem prætoris: faueo aratori, cupio octupli damnari Apronium. In his animaduertimus nullam, neque diſiunctionem, neque propoſitionem interpoſitam. Facit autem figura hæc ad celeritatem, & ad vim doloris aliquam ſignificandam: qua plerumque cùm commoti ſumus, hoc modo incidere ſolemus. Illud etiam præceptum habeto; actori veræ cauſæ nunquam timendum eſſe, ne nimis ſit in figuris ſententiarum. Si enim fieri poſſit, vt omnes ad aliquam vtilitatem figurentur, non vitandum. Aquil. p. 22.

Streptolyton.

Huius figuræ pauci admodum meminere: Notatur a Scholiaſte Ariſtidis apud Photium in Ariſtidis Panathenaico. Innuit eſſe figuram, quæ ex reciprocis conſtet magna varietate inter ſe contextis. Ciuitas eſt vt iuſtis fortior, ſi fortibus æquior, aut potius iuſtis omnino iuſtior, & violẽtis omnibus potẽtior. Vide Photium p. 655. τὴν μὲν τὰ δίκαια ἐκμόντων ὀχυρωτέραν, τὴν δὲ τὰς δυνάμεις ἐχόντων ἐπιεικεστέραν. Μᾶλλον δὲ τὴν μὲν τὰ δίκαια ἐκμόντων ἀκριβεστέραν εἰς αὐτὸν τὸν δικαίου λόγον. τὴν δὲ ἐπὶ τοῦ βιάζεσθαι δυνατωτέραν εἰς τέλος, ὥστε ἄμφω τὰ γένη δὲ ἀμφοῖν νικᾶν.

Subiectio in prolepſi, & procatalepſi.

Syſceuaſis

Hoc ſchema docet diuerſas res coniungere, & communi opinioni cum ratione aduerſari, & habet magnam vim vel ex laude vitium, vel ex vitio laudem exprimendi. Hyperidis. Nam hominis auari, atque aſoti vnum atque idem vitium eſt. Vterque enim neſcit vti; atque vtrique pecunia dedecori eſt. Qua- P. Rutil. p. 9. Hyperid.